





i 10

IN NOMINE JESU!

DECANUS

THEOLOGICÆ FACULTATIS,

IN

ELECTORALI WITTEBERGEN-

SIUM ACADEMIA,

JOHANNES

eutschmann/D.

PROFESSOR PRIMARIUS, &

SENIOR,

OMNIBUS ET SINGULIS

LECTURIS

MESSIAM,

CELI

PRÆSENTISSIMUM SCUTUM

ADVERSUS OMNIA MALA,

ET ABUNDANTISSIMAM MERCEDEM

AD OMNIA BONA

TUM EXTERNA, TUM INTERNA, TUM ÆTERNA,

*SUSPIRIIS ARDENTISSIMIS*

Q.

10,



IN NOMINE JESU!

**M**agna sunt, & multa *Veteris Testamenti* secreta, ponderosa pariter regni *Calorum* My-  
steria. Hæc autem *Mysteria* non tam felici-  
tatem externam, atq; benedictionem terre-  
strem concernunt, prout *Arminiani*, *Socinia-  
ni*, cum aliis fingunt, sed potius ipsam bene-  
dictionem internam, & æternam, respiciunt, atq; justitiam, sa-  
lutem, & æternam vitam, inferunt. Testes ejus rei sunt *Oracula*  
*Clasfica*, cum primis *Doctrinalia*, tum ipsius *Messia*, tum *Patri-  
archarum*, tum *Prophetarum*, tum aliorum *Virorum* *ἱεροπο-  
ων*. Inter ea, ceu *Stella* primæ magnitudinis, micat *Messia*, per  
illustrem *Epiphaniam* *Abramo* comparentis, *Oraculum*,  
*Gen. XV. 1. Noli timere, Abram, Ego sum scutum tuum, & Mer-  
ces tua magna nimis.* Magnus hic *Orator*, *Jehova* *Messias*, Hu-  
mani *Generis* *Salvator*: magnus est *Auditor*, *Abram* *Patriar-  
cha*, *credentium* omnium *Pater*: talis enim ex hoc *Capite* dici-  
tur *Paulo*, *Rom. IV. 12.* revera quoq; talis est, tum ex singulari  
*Dei* *Patris* *Confederatione*, quæ legitur in hoc *Capite*; tum ex  
*singulari* *Messia*, vel *Dei* *Salvatoris*, *manifestatione*, quæ λόγος  
seu *Verbum* *Domini*, venit ad *Abram*, peculiarem apparitionem  
instituit, & de justificationis, atq; salutis *Mysteriis* *Oraculo*  
notatu dignissimo cum eodem contulit, inqviens: *Noli timere,*  
*Abram; Ego* *Protectör* *tuus*, & *Merces* *tua* *magna* *nimis*: tum ex  
*singulari* *Spiritus* *Sancti* *testificatione*, v. 6. *Credidit Abram*  
*Deo* (*בַּיהוָה*, in *Deum*) & *reputatum* est illi ad *justitiam*. Nam  
hæc

Hæc sunt illa verba *spiritualis inaugurationis ad universalem*  
*Patriarchatum omnium Credentium, tam ex præputio, quam*  
*ex Circumcisione!* Hæc sunt *Canonica fundamenta Patriarcha-*  
*lis constitutionis!* Hæc sunt *Apostolica documenta solennis pro-*  
*clamationis!* Publica certe *proclamatio Patriarchalis à Paulo*  
*facta fuit in Primaria, vid. ad Romanos, Epistola, & magno quo-*  
*dam apparatu per Thesin, Ecclthesin & Hypothesin, introducta:*  
**DICIMUS,** inquit *Paulus, & iterum dicimus, atq; solenniter re-*  
*petimus, patriarchalis Dignitatis fundamentum: quia reputa-*  
*ta est fides Abræ ad justitiam. Hæc Catholica Thesis est. Mox*  
*sequitur Ecclthesis Catholica, quod propter hanc fidem suam Pa-*  
*parcha sit Abram fidelium, tam in præputio, quam in circum-*  
*cisione v. 10. Quomodo ergo reputata est? In circumcissione, an in*  
*præputio? Non in circumcissione, sed in præputio. v. 10. Et signum*  
*accepit Circumcissionis, signaculum justitiæ Fidei, quæ est in præ-*  
*putio. v. 11. Et ex his deducitur Catholica Hypothesis, v. 12. Ut sit*  
*Pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis*  
*ad justitiam, & sit Pater Circumcissionis: non bis tantum, qui*  
*sunt ex Circumcissione, sed & his, qui sectantur vestigia fidei, quæ*  
*est in præputio Patris Abræ. Tantus erat hujus Oratoris Au-*  
*ditor immediatus, sed mediatum Auditorium erat amplissi-*  
*imum. Tanta siquidem in eo multitudo credentium erat, ut*  
*mox ei diceretur: Suspice caelum, & numerâ stellas, si potes: sic*  
*erit semen tuum, Gen. XV. 5. Maximus etiam est Concionis Mes-*  
*siana Tenor, Abræ. Noli timere: Ego Protector tuus sum, & mer-*  
*ecs tuâ magna nimis. Verba sunt pauca, mysteria multa. Latet*  
*hic magnus Scripturæ totius Oceanus, Universæ Theologiæ ple-*  
*narius Cursus, & Catholicæ Soteriologiæ promus condus. Si*  
*quis alia desiderare vellet, nullum aliarum meditationum*  
*sacrarum in hoc Oraculo fecundissimo defectum observare*  
*posset. Thesaurus Thesaurorum est, quem Sapientissimus*  
*ἄγγελος, & Orator Oratorum hic, instar depositi, nobis recon-*  
didit.

recondidit. Nobis hæc *tria* de præfenti fufficiant, quæ ta-  
men extremis saltem calamis attingere volumus, dum omnes  
*interiores divitias* absconditas elicere nequaquam possumus.  
Cornitur in hoc *Breviario Messiano* totus *Scripturarum Oceanus*.  
Scriptura tota *fidei verbum* est, *Rom. X. 8.* & unice tendit  
eo, quo vera, quæ sola sufficit in cordibus nostris, *fides* genere-  
tur. *Fides prora, puppisq;*, jure dicitur, quæ constanter, ceu per  
*meram πληροφωσίου ad Deum*, vel, si mavis, *in Deum* ipsum ve-  
himur. *Scripturæ verbum salutis Verbum*, *Act. XIII. 26.* Johan-  
nes utrumq; conjungit *c. XX 31.* *Hæc scripta sunt, ut credatis, &*  
*credentes vitam æternam habeatis*: idem *Paulus* observat, *II.*  
*Tim. III. 15.* *Sacræ literæ te sapientem reddere possunt ad salutem*  
*per fidem, quæ est in Christo Jesu.* In tota *Verbi cælestis* *εργασία*  
mediū requiritur, & finis, ut homo *felicitatis Candidatus* esse  
possit. *Fides medium* est: & ipsa *salus finis* rationem induit.  
In hac perfecta *Verbi* salutaris *Officina Messias* ostendit, *Sub-*  
*jectum*, quod est *Abram*, *Pater Excelsus*: ostendit *medium*,  
*Noli timere*, sed omni timore profligato certissime crede,  
plenissime confide: ostendit *finem*, atq; *scopum*: *Ego sum scu-*  
*tum tuum, & merces tua magna nimis*, hoc est, perfecta *salus*; *sa-*  
*lus* nim. ad mala, per scuti modum, *repellenda*, vel *peccata re-*  
*mittenda*; *salus* itidem ad *omnia bona* conferenda, per modū  
perfectissimæ *mercedis*, veræq; *justitiæ mercedis*. Hæc totius  
*Scripturæ Summa*, hæc *universa verbi Dei meta* ! Neq; minus  
*Orator* noster *Eloquentissimus* sub *paucitate verborum* totius  
*Theologiæ Corpus* exponit, & in his *universa Theosophiæ Cursum*  
absolvit. Totum *Theologiæ systema* tribus continetur *partib;*  
quarum *prima* dicitur *Theosophia*, *Doctrina de Fine, Deo Glo-*  
*rioso, ejusq; beata fruitione*; *Secunda* vocatur *Anthropologia*,  
*Doctrina de Subjecto*, vid. *Homine Peccatore*, vel etiam varia  
*Statuum Humani Generis Conditione*; *tertia* demum appel-  
atur *Oeconomia principiorum, & Mediorum salutis*, quibus *Fi-*  
*nis*

*nis Optimus, Deus, Summe Beatus, in Subiectum pessimum, Ho-*  
*minem ob peccata damnatum, convenienter introduci, con-*  
*sequenter unum cum Eo fieri possit. Videmq; certe Deū, ut Je-*  
*bovam, Deum quoad Essentiam, Unum, & Summum v. i. ut יְהוָה*  
*יְהוָה, v. 2. Deum Trinū, Deum Patrem, Filium & Spir. San-*  
*ctum, dum primum hoc Nomen Augustum in loco præsentis le-*  
*gitur, nec à Deo demum hic revelatur, sed ab Abramo, tanquā*  
*antea cognitum & adhibitum, vel satis consuetum, usurpatur: &*  
*hic Deus, ut Abramo confederato, sui fruitionē Patriarchæ con-*  
*cedit. Videmus etiam Abramum, ut hominem, vereq; peccato-*  
*rem, timoris multiplicis participem, & salutis, vel scuti, mer-*  
*cedisq;, ratione sui, semper egentē. Videmq; deniq; partē tertiā*  
*Oeconomicam, in Messia fundatam, in qua salutis Oeconomia, ra-*  
*tione cause, Verbum salutis; ratione Materie, Ecclesia Patriar-*  
*chalis; ratione forme soteriopaia, quoad formales actus, Voca-*  
*tionis, Regenerationis, illuminationis, Conservationis, justifica-*  
*tionis, sanctificationis &c: ratione finis, Vita Mesiana, seu per-*  
*fecta reperitur, Gen. XVII. 1 Sed hæc, & alia, persequi modo nō*  
*conceditur. Deniq; tota Soteriologia, quoad omnem proces-*  
*sus, hic Messias introducit, tum quoad salutis personam, quæ*  
*latet cum Ecclesia in Abramo: tum quoad salutis medium,*  
*quod est vera fides, Noli timere: deniq; quoad salutis Scopum,*  
*vel ipsam salutem, quia Messias v̄ n̄v̄ est, quoad Bona, tum pri-*  
*vativa, respectu quorum est scutum, tum quoad positiva, re-*  
*spectu quorum optima merces. O quanta Mysteriorum salutis*  
*messis in his apparet, sed modo falcem in hanc mittere non*  
*licet. Pluribus Oraculum hoc exponet hisce diebus SPECTA-*  
**ABILIS AMPLISS. FACULT. Philosophiæ DECANUS, VIR NOBI-**  
**LISS. AMPLISS. EXCELLENTISS. DN. NATHANAEL FALCK,**  
**GEDANO PRUSSUS, Collegii Phil. hætenus ASSESSOR, Nunc DE-**  
**SIGNATUS PASTOR STETINENSIS AD D. MARIE Præpositus**  
*& h. Prof. Prim. in Lectionibus Cursoris, in cuius gratiam hoc Pro-*  
*gramma scribimus, & pro more nunc Vita Gestæ Curriculum exponimq.*

Cùm verò ad felicitatis humanæ partem non postremam pertinere videatur, si honesto loco nati sumus homines, unde ad culturam ingenii aliquod proficisci momentum potest; Noster quoque FALCKIUS singularis Beneficii Divini loco habet, quod primam lucem vidit *Gedani*, in eâ Borussorum Civitate, quæ subsidia copiosius, in omnem humanæ vitæ utilitatem suffectura, dare potest. Hoc verò felicitatis gradu parum Ipse gavisus esset, nisi genethliacum ortum, magno DEI munere, traxisset à Parentibus honestissimis, quorum spectata Virtus omnium in sese laudes dudum provocaverat. Patrem nempe nactus est VIRUM *Maximè-Reverendum, Amplissimum, Excellentissimumq;*, DN. M. MICHAELEM FALCKEN, Philosophiæ antehâc in Gymnasio Gedan. Professore Publ. celeberrimum, & Reip. Bibliothecarium; posthæc Pastorem Ædis Catharinæ, per complures annos longè meritisimum, *ἄξιον ἐὺν εὐαγγέλιον*; Matrem *Præstantissimam Fæminam*, MARIAM QVISTORPIAM; à Theologo magni Nominis *maximorumq; Meritorum*, JOH. QVISTORPIO, Seniore Profesi. Theol. in almâ Rosarum Primario, ac Superintendente, tum verò BARBARA DOMANNIA, ex Nobili DOMANNIORUM in Westphaliâ genere oriundâ, prognatam. Horum Parentum curæ debet, quod primum ad salutaris fidei Fontem, quem



quem Baptismum vocant, & mox ad ejus fundamen-  
ta ritè percipienda à primis pueritiæ annis manu-  
ductus fuit, & ne quid deesset imbibendis feliciter  
literarum rudimentis, donec ad altiora progressus  
fieret, optimorum Præceptorum Institutioni est con-  
creditus. Hos inter, uti exactâ ad instruendam Ju-  
ventutem facilitate pollebant *Viri Clarissimi*, DN.  
CHRISTOPHORUS BEER, t. t. Scholæ Cathar. Rector, nunc  
Eloqv. & Poës. in Athenæo Prof. celeberrimus, &  
DN. JOH. KRIEG, Scholæ Marianæ Rector meritissi-  
mus, ita quicquid excolendo ingenio, & componen-  
dis ad honestatem morib9, facere poterat, in eo sup-  
peditando nihil industriæ, atq; studii, bene meriti  
Præceptores omiserunt. Jamq; ita successerant his  
Doctoribus excitata conamina, ut annum ætatis 13.  
ingressus ad Gymnasium deduceretur, curæ  
DN. L. CHRISTIANI ROSTEUSCHERI, & DN. JOH. PETR. TI-  
TII, nunc inter cœlites agentium, commendatus.  
Sed dum in eo totus esset, ut in hâc illustri  
Musarum sede se pro virili impenderet tractationi  
literarum, inopinato, tristissimoq; casu, per Parentis  
desideratissimi Obitû, ita confusus est, ut de mutan-  
dâ vitæ ratione, & avocando à studiis animo, cogita-  
re inciperet, quod eum nunc ereptum sibi intellige-  
bat, à quo in altioribus versanti literis formari o-  
mnis agendi industria, ac dirigi debebat. Aliter ta-  
men Deo visum erat, quando Mater optima, illa ho-  
dic

dic

dienum, & utinam! diu, superstes, ad suppeditanda  
exoptatorum in studiis successuum quæcunq; ad-  
minicula diligentissimè se impendebat, & Fratris, qui  
redux factus ab Academiis fuerat, providâ, ac per-  
quam utili manu ductione frui concedebatur. Qua-  
re nihil intermittendum industriæ arbitratus studio-  
rum telam texere, quâ inceperat, operâ, tum qui-  
dem continuavit, cumq; viam ostendenti, ad huma-  
nitatis studia, & sermonis elegantiam, JOH. PETRO TI-  
TIO, penitus dedisset animum, ita effectum est, ut ab  
his suavioribus Musis, quæ vitam ornant, & ad felici-  
ter imbibendas artes magnum ingenio pondus ad-  
dere consueverunt, nunquam deinde omninò ab-  
strahi potuerit, quin ad dulcissimos illos fontes re-  
currento gratum inde sæpius liquorem peteret,  
nec meliore modo animum relaxari à difficultate re-  
rum posse, quam in eis sedendo campis & floribus  
arbitraretur. Magno Ejus commodo tum accidit, ut  
in illustri Athenæo Philosophiam pariter ac Theo-  
logiam docendi Munus obiret *VIR Excellentissimus,*  
*DN. D. SAMUEL SCHELGVIGIUS.* Hujus adhære-  
bat lateri perpetuò, ab hoc arripiebat avidè, quod ad  
instruendum ingeniū præceptis Sapientiæ, implen-  
damq; mentem Diviniore Doctrinâ pertinebat, &  
perspicuè juxta ac exactissimè à fidelissimo Doctore  
tradebatur. Quapropter ab omni illo tempore,  
quantum huic suo Præceptori debeat, gratus re-  
coluit,

coluit, idq; publicè testatur, quod à SCHELVIGIO ac-  
ceperit, unde, si quis erit imposteriorum studiorum  
suorum fructus, dimanare possit. Neq; tamen mino-  
ri affectu prosequitur, & deprædicat insignem *Am-  
plissimi* DN. BÜCHERI industriam, cujus accuratissimi  
Viri informatione solidâ ultra anni spatium ita fuit  
usus, ut formatum ejus Disciplina ingenium feliciter  
deinde applicare ad Philosophiæ studia, in Acade-  
miis continuanda, potuerit. Quod B. D. ÆGID. STRAU-  
CHIUM, Scholas in Theol. Morali tum aperientem, au-  
dire publicè per aliquod spatiū temporis fuerit con-  
cessum, in eo quoq; felicitati suæ non additū nihil ar-  
bitratur, in primis quod & respondendo, & opponē-  
do, sub hujus Viri Moderamine partes suas aliquoties  
sustinuerit. Historiam docebat Jctissimus Vir, B. DN.  
CHRISTIANUS ROSTEUSCHERUS; in hoc ergo genere  
studii tum excolere animū incipiebat, quod magno  
deinde ardore prosecutus est, & in delitiis habere  
nunquam intermisit. Cum verò nihil præstari solidi  
posse in sublimi Divinarum Literarū tractatione in-  
telligeret, nisi quis Græcè, pariter ac Hebraicè doctus  
esset, idcirco B. DN. WOLFFGANGUM ROSTEUSCHERUM,  
& JOH. SALOMONEM, Professores Publicos, studiosè  
audivit, & quicquid percipere eruditè prolatum abs  
iis poterat, id omne in rem suam convertere non si-  
ne curâ allaboravit. His demum instructus subsidiis,  
cùm Præceptorum judicio idoneus haberetur, qui

B

ad-

adire Academias posset, & in illis proficere, Gymna-  
sio Patrio valedixit, defensis prius publicè, sub *Excell.*  
SCHELGVIGII Præsidio, duabus Dissertationibus  
de Capillamentis, quas proprio Marte conscripserat.  
Gedano profecto, primum ad Rostochienles iter  
fuit, quo loco uterq; haud ita pridem QVISTORPIUS,  
Avus alter, alter Matrueles, cum immortali relicto sui  
desiderio eminuerant, nunc verò Cognatus aman-  
tissimus, DN. JOH. NIC. QVISTORPIUS, hodie SS. Theol.  
D. & ad Div. Nicol. Aedem Pastor meritissimus, ma-  
gnâ Doctrinæ Gloriâ efflorebat. Ab hoc receptus in  
domum, & benignè, ac prorsus ex voto habitus o-  
mnem ad continuanda studia animum applicavit.  
Cumq; propensissimum in se affectum, ex amore  
Avi, & Fratris sui magnam partem redundantem,  
B. D. COBABI, Theologi Senioris, persentisceret,  
hujus VIRI Consiliis, ad rectè instituendam  
laborum suorum rationem, sæpe fuit usus, & eun-  
dem, in Explicatione Librorum Symb. occupatum,  
cum insigni fructu suo constanter audivit. Quan-  
do autem mortuo sub illud tempus Varenio, Coba-  
bo propè senio confecto, absente etiam Siricio, præ-  
cipuum, quod expectari poterat proficiendi e-  
molumentum, abs omnigena Eruditione Famige-  
ratisimi Theologi, DN. D. JUSTI CHRISTOPHORI  
SCHOMERI pendeat, omnem Viro huic navare in-  
dustriam contendit, qui non tantum singulari dex-  
teritate

teritate quâdam animum Ejus sæpenumero dubiis  
exolvit, sed docendo in Collegiis Exegeticis, Mora-  
libus, Polemicis, Theticis, Homileticis, tantum com-  
modi ad ejus studia, profectusq; contulit, ut, quod  
hunc Præceptorem nactus fuerit, id sibi magno-  
pere nullo non tempore gratulari velit. In expo-  
nendis Philosophiæ Divitiis, & Opibus, non adeo  
magno tum Rostochii proventus Nostro videbatur,  
itaq; postquam Præsede DN. D. SCHOMERO, *De Col-  
legiis Privatae Pietatis*, & Moderatore DN. D. QVIS-  
TORPIO, *de Arcanis Status in Religione Muhamme-  
danâ* Auctor, publicè differuerat, transferendam in  
alias Academiâs studiorum suorum tractationem  
ratus, Wittebergam venit An 1685. Mense Septembr:  
Non hic morandum diu circumspectando videbatur, cum  
ubiq; artium & literarum cujuscunq; generis fertilissima  
nundinatio se offerret. Hanc ut bene utiliterq; institueret, ad  
eos se contulit, apud quos haud fucatae merces exponeban-  
tur. Sive enim Auctorum elegantissimi sermonis copia inge-  
renda animo, & imbibenda erat, sive in Hebraicis literis ver-  
sandi exquirenda felicitas, illam quidem Operam egregiè ex-  
pedienti, Magnifico h. t. Academiæ Rectore, DN. GEORGIO  
CASPARO KIRCHMAJERO; hâc autem in parte sedulo  
*Amplisf. DN. THEOD. DASSOVIO*, gnaviter adhæsit. In Historia  
& Ecclesiasticâ, & Profanâ, eruditissimè per tractandâ Celeber-  
rimû Polyhistorem, DN. CONR. SAM. SCHURTZFLEISCHIUM  
cupidis auribus audivit. Matheseos evolventem circulum in-  
tegrum, B. MICH. WALTHERUM, valde mirabatur, privatâ de-  
inde operâ *Excell. DN. MICH. STRAUCHII*, per omnes eundo  
Systematis Mathematici partes non sine fructu usus. Præter

hæc, quantum in omni Philosophiâ Morali, & Theoreticâ Vi-  
 ris Nobiliss. Excell. DN. CHRISTIANO Röhrensee/ Hospiti suo,  
 & Patrono cum curâ suspiciendo, pariter DN. CHRISTIANO DO-  
 NATI debeat, cum id paucis verbis exprimere non possit,  
 grato pectore complectitur: Fiebat, ut cum ad horum pe-  
 des magna cum animi delectatione sederet An. 1686. præmia  
 pro more distribueret, quæ *Magisterii Gradum* vocant, stu-  
 diorum Sapientiæ sub illud tempus Præses Spectatissimus,  
*B. Dn. Mich. Waltberus*; ab hoc Brabeuta cum docendi intra  
 privatos parietes, & exponendi Dissertationes publicas in  
 medium, tributa potestas esset, jam in eo omnem movebat  
 lapidem, ut quando instruebat alios, mentem ipse magis, ma-  
 gisq; suam excoleret. Procebat negotium; cum non de-  
 essent, qui explicanti Logicam, Metaphysicam, Pneumaticam,  
 repetitis sæpe vicibus, & diversâ operâ, studium suum, & au-  
 diendi industriam comprobare vellent. Alios ad Oratoriæ  
 fontes & delicias aliquoties deduxit; nec in Morali Doctrinâ  
 negligens, nonnullas in Ethicis, plures in Politicis Scho-  
 las aperuit; Naturalis Philosophiæ præceptis semel iterum ve-  
 explicatis. Jamq; ab *Amplissimo Philosophiæ Ordine* An. 1688.  
 in numerum Adscriptorum Collegii receptus erat, cum & ur-  
 gere Philosophica studia in privatis Collegiis, & quod antè fe-  
 cerat, Disputationes subinde publicas exponere Præses conten-  
 debat: Modo enim ex Morali Doctrinâ: *De Coæctione Conscien-  
 tiarum in negotio Religionis; De eo, quod licitum est subditis in causâ  
 oppressæ Relig. De Potestate Imperantium ad actus suâ Naturâ illicitos  
 se non extendente. it: An, & quousq; Princeps observare Leges fun-  
 dam. teneatur. An Civitas Extrema ab Hoste pati debeat, si sciat,  
 auxilia sibi non submissum iri.* Modò ex Philosophiâ Theoreticâ:  
*De Discursu Brutorum; de Quæstione: An Physico falsis uti  
 Principiis aliquandò concessum sit. De Distinctione suppositæ  
 à Naturâ;* ut de aliis pluribus nihil referam, publicè disseruit.

Quan-

Quantquam verò in excolendo per hunc modum Philoso-  
phiæ studio nulli labori parceret, nunquam tamen à Theo-  
logiâ pertractandâ ita avocari animum est passus, quin huic  
studio, quantum fieri poterat, penitus se impenderet. Do-  
ctoribus in hoc sublimi doctrinæ genere *B. Calovio, & Quen-*  
*stedtio*, cum Wittebergam accessisset, quod illi senio, & la-  
borum diuturnâ tractatione fracti, debilitatiq; essent, vix ac  
ne vix quidem uti potuit; eo tamen studiosius tum ex facun-  
disimo *B. Waltberi* ore, & *Köningii* in Theol. Theticâ, &  
*Calovii* in Synopsi Controv. utilissimas Explicationes hauri-  
ebat. Cæterum quando in Magnifico ac Summè-Rever. DN.  
D. JOH: FRIED. MAYERO, t. t. Theol. in hac alma Prof. Publ.  
*Alumn. Elect. Epboro, & Ædis Sacre OO. Sanctorum Præpositi*  
*Substituto; nunc S. R. M. Sveciæ per omnes Ejusd. in Germ. Pro-*  
*vincias Consiliario supremo, in Acad. Holsat. Prof. Theol. Ordin.*  
*& Hamb. ad Div. Jac. Pastore, ac Scholarchâ*, certantem cum  
ingenio & incredibili industria singularem Eruditionis glo-  
riam admirabatur, id imprimis in votis habebat, ut Celeber-  
rimo Viro industriam, atq; studium probare posset. Quod  
magno suo fructu & laborum incremento facto esse testatur,  
quando Bibliothecam Theologicam, Recentissimas Contro-  
versias, & Manuductionem ad Oratoriam Sacram, fe-  
liciter, magnoq; cum applausu tradenti constanter adfuit,  
tum sub illius *Moderamine de Novâ Reformatorum Heidelber-*  
*gensium Methodo infestandi adversarios*, Auctori, disputavit, &  
ex illo tempore in Ejus Amorem admissus summâ Eruditissimi  
Viri gratiâ usus est; quin eundem Patronum, & Promotorem  
benevolentissimum invenit, cui pro exhibitis Beneficiis, & Ham-  
burgi imprimis præstitâ duabus vicibus plane incomparabili  
Benevolentia, perpetuum se esse profiteretur Debitorem. Non  
multis commemorare vult, quantum ab Eruditione, & solidissi-  
mâ

mâ Theologiam docendi Methodo, Promotorum suorum, præ-  
sentium Theologorum, quos primo recensendos loco credebat  
profecerit, sed cū modestiæ transilire leges nolit aut assentatio-  
ni quicquā dedisse, id tantum profitetur quod ab eorū ore, sive  
docentes eos, sive disputantes audiret, nunquam nisi doctior  
atq; haud parum in iis instructus, quæ sublimioris indaginis  
sunt, recesserit. At cum ita existimaret, non ornari tantum, sed  
juvari etiam in agendis rebus Theologū eo posse, si non omni-  
nò in Jurisprudentiâ Civili hospes esset, id circò ad *Illustrem*  
*STRYCKIUM*, cū is Academiæ nostræ Divino Munere datus esset,  
se contulit, & Magnum hunc Juris Interpretem, qui tum Fun-  
damenta Legum Civilium dexterrimè exponebat, summâ con-  
tentione animi audivit, donec ab ejus latere divulsius præstitu-  
tum iter ingredi coactus est. Jamq; annus cum dimidio efflu-  
xerat, ex quo, ven. iiliatâ prius publicè *sub meo* Præsidio Disputa-  
tione Theologicâ, quæ *Syllogen Questionum Practicarum de Ba-*  
*ptismo* continebat, à Venerando Theologorum Collegio data  
ipsi docendi privatim Theologiam facultas benignè fuerat,  
atq; in eo omne studium impenderat, ut in Collegiis Theticis  
juxta ac Polemicis, Anti-Papæ & Calviniano, tum Homileticis  
quoq; desiderio Audientium nō deesset; quando, quod diu me-  
ditatus fuerat, excurrendi ad externos propositum, animo rursus  
se se ingerebat. Cui velificatur, Wittebergâ præcedenti Anno,  
Mense Majo, abiens, per Hamburgum iter faciendo, Bremam  
primùm accessit, magnâ ibidem delectatione ex Colloquio cum  
Viris Clarissimis, quos inter *Mejeros, Winckelmannum & Eggolungi-*  
*um* primo loco recenset, affectus. Exinde profectus  
Gröningam in Frisiâ, *Mygis* imprimis & *Hulsi* Junioris favore u-  
sus est. Franeckeræ deinceps *Vitringam, Roëlium, Huberum, Pe-*  
*rizonium, Regium*, aliosq; convenit, & omnem Controversiarum  
statum, de Rationis in Theologiâ Usu, de Generatione Filii Dei,  
& Morte fidelium temporali, quæ tum imprimis agitabantur, ex  
ipsis earum Auctoribus cognovit. Quid Amstelodami *DN. de*  
*Raci* debeat, quid inter Arminianos *Lamborchio* præ reliquis ac-  
ceptum ferat ex eruditis, familiaribusq; colloquiis; quid apud

*Ana-*



*Anabaptistas, Quackeros, Labadistas, Brownistas*, ipsos etiã *Reformatos & Socinianos*, in suam utilitatem converterit, prolixius recensere noluit. Lugduni Batavorum docentes in Theologia, & Historiã Ecclesiã *Spanhemium, Triglandium, Marckium*, in Philosophiã, & Humanitate *Burchardum de Volder, Sengverdium, Gronovium*, cum ancipiti ad eorum Doctrinam Judicio audivit, non secus atq; Ultrajecti *Mosfrichtium, Leydekkerum, Wuzium*, Theologos, tum *Leusdenium, De-Vries & Grævium* sæpe miratus fuit, hoc præcipuè felicitati & commodis adscribit futuris, quod ex illorum Virorum Conversatione sedulã, & Discursibus eã percipere potuerit, quæ legenti, quod de Controversiis Cartesianorum & Coccejianorum scripto relatum est, non faciliè aperiuntur. Rotodamum & Hagam Comitum transiens, inq; Angliam secundo itinere delatus, Londini cum *Tb. Gale*, insigni ac celebratissimo Philologo, *Tb. Smith, Paulo Colomofio, Beveregio, Boylio*, aliisque pluribus, sermones contulit, non sine emolumento suo institutos, præterquam quod Curiosis Anglorum Physicis aliquoties interesse, & illa oculis usurpare concessum erat. Apud Oxonienses *Porockium* Octogenario Majorem, non vidit tantum, sed cum eo collocutus est; præterea humanitate *DN. Bernhards*, eruditione *Dodwelli, Beverlandii, Hyde*, & aliorum, ut & de celeberrimæ Bibliothecæ subsidiis sæpius, atq; auspiciatò gavissus. Apud Cantabrigienses, quod *Spencero* præsens adfuerit, magni æstimat, *Newtoniumq;* colit ante omnes alios, qui favore summo erga ipsum usus, haud parum ad ea cognoscenda contulit, unde aliquis ad res ipsius redire fructus poterat. Tandem cum & inter Anglos, quantum videbatur sufficere, versatus esset, & posthac aliquot adhuc Mensium spatio degisset in Belgio, relegit iter, & in Westphaliã per Monasterium; Bilefeldiam, Herfordiam profectus, ad Rintelemses pervenit, apud quos desolatæ Academix faciem deprehendens, (quanquam *Dn. D. Kableri*, Theologi pariter, & Philosophi summa Eruditio haud parum jucunditatis addebat) non diu substitit, sed Hamburgum maturavit iter, eoq; loco in hospitium rursus *Magnifici Meyeri* benevolè receptus, instructissimã Librorum Celeberrimi Viri Supellectile non sine jucunditate maximã, suoq; bono usus

sus

Ufus fuit simul atq; meliorē spondebat aër, hucusq; frigidissim⁹,  
tempestatem, sub initium Mensis Aprilis Hamburgo abiens, &  
per Brunsvigam, Gvelferbutum ( ut toto orbe celebrem Bibli-  
othecam lustrare bidem contingeret, ) Helmeftadium ( quo lo-  
co quod *Calixtum, Meierum, Meidomium*, aliosq; convenire da-  
tum erat, imprimis ei gratum accidit ) Magdeburgum profe-  
ctus, felicem rursus Wittebergæ pedē intulit. Ubi cum à Phi-  
losophorū Amplissimo Ordine Decanatūs ad hoc, quoddegi-  
mus, Semestre Munus impositum fuerat, atq; ille ad consve-  
tos docendi in Theologiā & Philosophiā labores studium appli-  
caverat, Divino prorsus nutu factum est, ut ab Illustri Potentiss.  
SVECORUM REGIS in Citeriore Pomeraniā Regimine, ad Con-  
cionem apud Stetinenses habendam, cum spe obtinendi Mu-  
neris Ecclesiastici pariter atq; Scholastici, evocaretur. Paru-  
erat vocanti Deo; Sed vix Sedino redux Wittebergam factus  
erat, quando se denominatum unanimi suffragio ad *Pastoris*  
*apud Div. Mariae Aedē, Praepositi* pariter, & in *Gymnasio Carolino Theol.*  
*Professoris Primarii*, Officium Illustre Regimen benevolē indixit,  
voluitq; ut quam primum id paterentur res suæ Sedinum sei-  
psum suamq; suppellectilem ad Officium publicum transfer-  
ret. Nunc dum in eo est, ut Mandato Superiorum morem ge-  
rat, & pro Gratia sibi dāta, Munus oblatum, ob vestigia suo-  
rum Antecessorum, exornatum reddat, à Venerando Theolo-  
gorum hujus Academiae Collegio modestè petiit, ut *Licentiam*  
*impetrandi Summum in Theologia Gradum*, consequeretur. Non  
difficilem in eo viam, ob doctrinæ multiplicis famam, merito-  
rum in juventutem Academicam copiam, & vitæ præclaras vir-  
tutes, invenit. *Cras Deo dante, Hor. IX. matutina Speciminum*  
*consuetorum auspiciis* facturum est Inaugurali quadam Oratio-  
ne de *Labadismo*, hodie in *Orthodoxa Germania asserto*,  
**Magnificum igitur DN. RECTOREM, PER ILLU-**  
**STREM DN. LIBERUM BARONEM**, ac *Universos Pa-*  
*tres*, atq; *Cives Academiae præsentis Programmate* solenniter eā,  
qua par est, reverentia ad hanc Panegyrim invito. *DEus omnis*  
*Gratia benedicat conatibus istis, & sua paternā Providentiā coronet*  
*Ecclesiam & Academiam nostram, & Facultatem Theologicam, pro-*  
*pter Christum Jesum, Dominum Nostrum!* P. P. *Wittenbergæ Dom,*  
*XV. post Trinitatis, Anno MDC. XCII,*



